

qua à DEO sunt, ait, ordinata sunt. Plures auctoritates & ratione congerit D. Joannes Clericus de Sacram. Ord. cit. decis. 1. à n. 5.

21 Sectarioj objecta refellere, negotium est leve. Quid dispositum fuerit in Lege Nova? Dicitur in num. 18. Et, si deesset auctoritas Scripturæ, non deficeret Ecclesiæ traditio, ad hæc usque tempora perpetim continuata; quæ sanè non contemnenda, sed summo perè reverenda est: quandoquidem Respublica Christiana non tantum Lege scripta, sed etiam non-scripta & tradita regitur & illuminatur cap. Catholice S. Dist. 11.

22 Quòd autem fideles in textibus, in num. 15.

## SECTIO II.

### De Diversitate Potestatis Ordinis.

#### SUMMARIUM.

24. & seq. Potestas Ordinis dividitur in Confirmationem, Consecrativam, & Ordinativam. 26. & seq. Ordinativa vel est major vel minor. 28. & seq. Probatur Sententia, negans, Primam Tonfuram esse Ordinem. 33. & seq. Offenditur sententia affirmans. 38. & seq. Eligitur sententia media, quæ dicit, Primam Tonfuram esse Ordinem in significatione latiori, non strictiori.

40. & seq. Utilitas hujus distinctionis communistratur. 43. & seq. Referuntur varia opinionones de Episcopatu, num essentialiter à Sacerdotio distinguatur? 46. & seq. Defenditur opinio affirmativa. 50. & seq. Proponuntur fundamenta contraria. 53. & seq. Rejiciuntur. 58. Episcopatus non distinguitur ab Archi-Episcopatu vel Papatu. 59. Solvitur cap. 1. Dist. 21.

#### §. I.

##### Quotuplex sit Potestas Ordinis?

24 Potestas Ordinis dividi potest in Confirmativam & Consecrativam. Confirmativa Potestas est facultas administrandi Sacramentum Confirmationis. Consecrativa vel est in specie talis, vel est Ordinativa. Illa dicitur esse facultas, res profanas & temporales efficiendi sacras. Illa subdividitur in majorem & minorem. Major appellatur, quæ confertur per Ordines majores, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum. Appellatur etiam Potestas Sacra per excellentiam, dum non solum proximi occupatur, circa ministerium Altaris & consecrationem SS. Eucharistiæ, sed etiam specialem sanctita-

tem exigit à ministris, eosque ad servandam continentiam obstringit. Minor Potestas dicitur, quæ confertur per Ordines minores, Ostiariatum, Lecturatum, Exorcistatum; & Acolytatum. Dicitur etiam non-sacra, non absolute, quasi profana & secularis sit (omnes siquidem Ordines personam ordinatum efficiunt sacram, & sacræ functionis capacem reddunt per cap. de ordinationibus 116. l. quest. 1. & Concil. Trident. sess. 23. cap. 17.) sed comparative ad Potestatem Majorem, dum ordinatus non obligat ad castitatem, neque tam propinquè circa ministerium Altaris versatur.

#### §. II.

##### An prima Tonfura Potestatem Ordinis conferat?

28 Dissensio est inter DD. an Prima Tonfura Potestatem Ordinis conferat? Sive, ut vulgò loquuntur, an prima Tonfura sit Ordo? Negant Theologi communiter cum S. Thoma & Sylvestro in Verb. Ordo 1. n. 1. illisque ex Canonistis cum P. Engel ad rit. de Temporib. Ordin. n. 6. accedunt Magnif. D. P. König eod. rit. n. 3. Clarif. P. Wiestner ibid. n. 3. Clarif. P. Franciscus Schmalzgrueber ad cit. rit. num. 3.

29 Rationes sunt I. quia in cap. servatum 14. Dist. 32. cap. illud nos 1. Dist. 77. cap. à subdiacono 5. Dist. 93. dum Ordines omnes distinctè recensentur, alium est silentium de Prima Tonfura.

30 II. quia in Concilio Trid. aperte distinguitur

prima Tonfura ab Ordinibus, dum in sess. 23. de Sacram. Ord. cap. 2. Clericali tonfura insigniti per Minores ad Majores Ordines ascendere dicuntur; & in ead. sess. cap. 6. ro. & 17. Minores Ordines, tanquam aliquid diversum à Prima Tonfura, referuntur. III. quia in cæteris Ordinibus adhibetur certa materia & forma: at in Prima Tonfura non adhibetur ulla materia, nec res aliqua tonsurato traditur, sed capilli tantum rescinduntur, & superpellicèo induitur. IV. quia Potestas, quæ confertur per Tonfuram, neque refertur ad ministerium Altaris, neque speciale munus tribuit in Ecclesia: tonsuratus quippe nil aliud potest,

potest, quam in Ecclesia psalmos cantare; quæ cantatio, velut ex Sarnellio notat Clericus de Sacram. Ord. decis. 11. num. 5. olim communis erat omnibus fidelibus.

33 Affirmat econtrà potiores Canonistæ, quibus ad stipulantur Covarruv. in cap. quia nos 9. de Testament. num. 4. Pax Jordan, Episcopus Traguriensis Elucubratur. divort. tom. 1. lib. 1. tit. 6. num. 3. Sperellus fari Eccles. decis. 114. à n. 19. Fagnanus ad cap. cum contingat 11. de Etate & Qualit. & Ord. à num. 44. Rationes sunt I. quia in SS. Canonibus psalmista, id est, tonsurati spatium annumerantur ordinatis, puta in cap. clerici 1. Dist. 21. cap. perlectis 1. §. ad Psal. 3. missam Dist. 25. cap. non oportet 2. Dist. 44. II. quia in iisdem Canonibus Prima Tonfura per sepe vocatur Ordo Clericalis, præsertim in d. cap. cum contingat 11. de Etate & qual. & Ord. cap. eò libentius 6. de Servis non ordinand. cap. præterea 1. de Apostat. cap. un. de Vita & honest. Clericor. in 6. III. quia in degradatione, quæ aliquis deponitur ab Ordine, includitur etiam depositio à Tonfura cap. si quis 6. XXVII. q. 1. cap. de gradatio 2. de Pen. in 6. ut adeò tonsuratus non possit non Ordinem, quò privatur, 37 habere: cum privato supponat habitum. IV. quia Prima Tonfura producit varios effectus, puta translationem à statu laicali ad Clericalem; exemptionem à foro seculari; privilegium canonis; capacitatem ad beneficia: quæ de causa negari vix poterit, quin Ordo sit, & Potestatem Ordinis tribuat.

#### §. III.

##### An Episcopatus conferat Potestatem Ordinis, distinctam à Sacerdotio?

43 Alia, nec minor est contentio, an Episcopatus conferat Potestatem Ordinis, distinctam à Sacerdotio? Sive, an Episcopatus sit Ordo diversus à Sacerdotio? Prima sententia simpliciter affirmat cum Fagnano ad cap. requisit de Ordin. ab Episcopo, qui renuntiavit &c. à n. 33. Schambogen ad rit. de Tempor. Ordin. n. 7. Cardinale de Laurea, Mastro, & aliis, quos citat Clericatus de Sacram. Ord. decis. 1. num. 28. eamque, quam veriorum, ac SS. Canonibus conformiorem judicat Clarif. P. Petrus Guetrather Inst. Jur. Can. lib. 1. tit. 24. n. 4. novissimè defendit Clarif. P. Franciscus Schmalzgrueber ad d. rit. de Tempor. Ordin. n. 4. Secunda sententia negat simpliciter cum plerisque Theologis, è quibus numerantur Gonet, & Salmanticenses de Sacram. Ord. rit. 8. cap. 1. à n. 26. & alii apud cit. Clericatum num. 30. Tertia sententia utramque distinctionis fœdere conciliat, ac Episcopatum non adequatè sed tantum in adequatè diversum à Sacerdotio pronuntiat, quatenus Sacerdotium per Episcopatum magis completur, atque ad nova quædam munia extenditur. Ita cum Sylvestro V. Ordo 1. num. 1. tenent Clarif. P. Engel ad rit. de Temporib. Ord. num. 4. Clarif. P. Mezger Theolog. Scholast. tract. 1 §. dist. 51. art. 1. n. 10. Clarif. P. Wiestner ad cit. rit. n. 6.

Mihi sub distinctione, quam probat Clericus cit. decis. 11. num. 37. utraque placet sententia. Nempe si Ordo consideretur largiens, quatenus dicitur statum ex num. 3. aut certam vivendi rationem ex num. 4. aut gradum & excellentiam ex num. 5. Prima Tonfura non injustè numeratur inter Ordines, ut probant rationes secundæ sententiæ. Verùm si Ordo strictius consideretur, quatenus ex n. 6. & 7. dicitur Sacramentum, & tribuit Potestatem specialem in ordine ad ministerium Altaris; Prima Tonfura non potest inter Ordines computari, quemadmodum rationes primæ sententiæ convincunt.

Ne autem ventilata quæstio nihil utilitatis continere videatur, sciendum est, in materia odiosa, ubi constitutiones Ecclesiasticæ disponunt de Ordinibus, ordinandis, vel ordinatione, non comprehendi Primam Tonfuram, aut tonsuratos: sic enim, dum Concil. Trid. sess. 7. de reformat. cap. 10. sub pœna interdicti prohibet, ne Capitulum, Sede vacante, intra annum à die vacationis ordinandi licentiam aut literas dimissorias concedat, Primam Tonfuram non subintelligi, decidit S. Congregatio apud Fagnanum ad cit. cap. cum contingat. num. 38. Sic etiam, dum idem Concilium 42 sub pœna suspensionis vetat, ne Episcopus alienum Diaconatum ordinet absque licentia sui Ordinarii, Primam Tonfuram collationem non esse comprehensam, censuit eadem S. Congregatio apud cit. Fagnanum.

#### §. III.

##### An Episcopatus conferat Potestatem Ordinis, distinctam à Sacerdotio?

Triplex placitum in statuta Juris dum appendo, prioris momenta præponderare videntur. I. enim Episcopatus, tanquam Ordo distinctus à Sacerdotio, agnoscitur partim in cap. 1. Distinct. 21. partim in cap. de Syracusana 13. Distinct. 28. partim in cap. omnium 1. Dist. 32. ipsaque Episcopi institutio vocatur sacra ordinatio & consecratio cap. extra conscientiam 5. Dist. 64. cap. de persona 4. Dist. 65. cap. ult. Dist. 66. cap. un. XVIII. q. 1. II. In Concilio Trident. 47 cit. sess. 23. can. 7. ita decretum legitur: si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere Potestatem Conferendi, & Ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit. Atqui vix ullus dubitavit, quin Episcopi Sacerdotibus in adequatè superiores existant; vix etiam quis vocavit in dubium, quin Episcoporum Potestas à Potestate Presbyterorum in adequatè sit distincta. Adeoque ex mente Concilii debet intercedere adequata distinctio inter Episcopatum & Sacerdotium. III. Episcopatus 48 tribuit gratiam Sacramentalem, ut traditur 1. Timoth. 4. §. 14. Imprimè Characterè indelebilem, & ubi semel est legitime collatus, nequit amplius repeti cap. sicut semel 1. Dist. 68. cap. non licet 107. de Consecrat. Dist. 4. Adeoque est Ordo specialis, & essentialiter distinctus à Presbyteratu. IV. Episcopatus habet 49

materiam, formam, ac Potestatem, totaliter à Sacerdotio diversam: siquidem pro materia, agnoscit impositionem libri Evangeliorum super cervicem ac scapulas, nec non impositionem manuum super caput Episcopi consecrandi; pro forma sunt ista verba: *accipe Spiritum Sanctum &c.* Potestas, quæ confertur, habet annexam Ordinationem Clericorum, Consecrationem basilicam, consecrationem chris-matis, confirmationem baptizatorum &c. quæ utique Sacerdotibus non communicatur. Ergo &c.

50 Oppone I. constantem Ecclesie sensum & consensum fuisse, quod septem sint Ordines, ut patet ex *cap. illud 1. Dist. 77. Trid. Concilio sess. 23. cap. 2.* & aliis testimoniis, quæ accumulata Clericatus de *Sacram. Ord. decis. 3. n. 38. & seq.* Adeoque Episcopatum non censei distinctum Ordinem à Sacerdotio: utpote

51 cum aliquo forent 8. Ordines. II. Sacerdotium essentialiter ad Episcopatum prærequiritur, nec posse Episcopatum valide conferri, nisi collato prius Sacerdotio per *cap. ex literis 10. §. cum igitur &c. de Excess. Pralator.* & idè tantum inadæquatè unum Ordinem 52 ab altero distingui. III. Potestatem, quæ respiciunt Sacerdotes, longè majorem esse, quam Potestatem Episcopalem: siquidem Potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Domini, sicut & Potestas ligandi ac solvendi, multò sublimior est, quam Potestas Ordinandi Clericos.

53 Resp. ad I. contra sensum vel consensum Ecclesie non esse, si 8. Ordines admittantur: quando enim Ecclesia tantum 7. Ordines agnoscere videtur, Sacerdotium accipit in genere, quatenus includit Episcopatum & Sacerdotium in specie, concorditer ad Epistolam 3. S. Anaclei Papæ, docentis, *duos esse Sacerdotum Ordines, à Christo in Ecclesia relictos, Episcoporum, & Presbyterorum.* Quando autem à nobis 8. Ordines statuuntur, Sacerdotium accipitur specificè, prout Episcopatum contradistinguitur, in quo sentio patrocinator nobis *cap. illud 1. Dist. 77.* ubi per septem Ordines velut gradus ad Episcopalem Ordinationem ascendendum esse, à Cajo Pontifice decernitur.

55 Ad II. responderi potest I. cum Panormitano ad *cit. cap. ex literis n. 4. & in cap. un. de Cle-*

*rico per saltum prom. n. 5.* Episcopatum absque prævio Sacerdotio valide conferri: executionem tamen Ordinis Episcopalis, ante Sacerdotium, propterea non haberi: quia inter principales actus Potestatis Episcopalis est Ordinationis Sacerdotis. Atqui Episcopus, qui ipsemet Sacerdos non est, alium Sacerdotem ordinare nequit.

Resp. II. consequentiam non esse legalem: 56 Sacerdotium ad Episcopatum essentialiter prærequiritur: ergo ab eo essentialiter non distinguitur. Enimverò baptismus ad quoscunque Ordines, valide suscipiendos, essentialiter prærequiritur, & tamen, quòd Ordo distinguitur essentialiter à baptismo, à nemine negatur.

Ad III. Resp. negandò intentum. Illa si 57 quidem Potestas est major, quam aliquis non tantum habet pro sua persona, sed etiam aliis communicare potest; sicuti Jurisdic-tio, quæ respicitur Supremi Principes, est major illa, quæ reperitur in inferioribus: quia scilicet Principes Supremi non tantum ipsimet Jurisdictionem exercere, fed eandem in alios quosque diffundere non prohibentur. Cum igitur Episcopi non solum consecrare valeant Corpus & Sanguinem Christi, sed insuper hanc ipsam consecrandi facultatem per collationem Ordinis Sacerdotalis in alios dispensare, Potestas ipsorum longè præcellit, & præfertur Potestati Sacerdotum.

Quæres: an Potestas Ordinandi, quæ residet 58 in Archi-Episcopo, Patriarcha, Cardinale, vel Papa, sit major Episcopali Potestate?

Resp. negativè. Clericatus *cit. decis. 3. n. 34.* Ratio est: quia nec Papa, nec alius, habet alium Ordinem, quam Episcopalem: unde nec aliam aut altiore Potestatem Ordinis habeat, quam Episcopalem, necessum est.

Nec obloquitur *cap. Cleros 1. Dist. 21. ibi: 59 Ordo Episcoporum quadrupartitus est, id est, in Patriarchis, Archi-Episcopis, Metropolitanis, & Episcopis.* Ordo siquidem hic sumitur non pro Sacramento, & inde deducit Ordinis Potestatem, sed pro gradu & dignitate: quia nimirum Archi-Episcopi, Metropolitanis, & Patriarchæ, censentur esse in majori dignitate positi, quam Episcopi. Barbosa ad *cit. cap. n. 5.* P. Reiffenstuel ad *tit. de Tempor. Ordinac. n. 29.*

## CAPUT II.

### De Ministro, per quem Potestas Ordinis exercetur.

Quamvis originaria & primaria causa Potestatis Ordinis sit Christus Dominus, Sacerdos in æternum, secundum Ordinem Melchisedech, ut dicitur & deduc-tum est in *cap. 1. à num. 16.* Attamen, sicut cætera ministeria hominibus voluit esse communia; ita Ministros homines elegit, per quos Ordinis Potestas exercetur, dispensetur, & propagetur in finem mundi. Unde D. Chryso-stomus *lib. 3. de Sacerdot. qui terram, ait, incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea, qua in cælis sunt, dispensent; iis datum est, ut Potestatem habeant, quam DEUS Optimus neque Angelis, neque Arch-Angelis datam esse voluit.*

SEC-

## SECTIO I.

### De Episcopis.

#### SUMMARI.

1. Minister Ordinis & Confirmationis est Episcopus ex Jure Divino.
2. Minister Consecrationis ex Jure Ecclesiastico.
3. Debet esse ritè electus.
4. Confirmatus & Consecratus.
5. & 6. Delegare potest hos actus ante Consecrationem.
7. & seqq. Episcopus, dummodo Sacerdos sit, potest Ordines inferiores, quos nunquam suscepit, valide conferre.
10. Episcopus, à mortuis resurgens, caret exercitio Potestatis Ordinis.
11. Potest tamen à DEO habilitari.
12. & seqq. Enudatur, an & quomodo possit Episcopus Resignatus Ordines conferre? 18. & seqq. Moven-tur nonnulla dubia in contrarium.
22. & seqq. Resolvuntur.
26. & seqq. Ponuntur rationes

dubitandi, an Episcopi heretici, schismatici, vel censurati possint ordinare? 29. & seqq. Stabilitur affirmativa.

32. Satisfit rationibus dubitandi.

33. & seqq. Quando censura Episcopi est occulta, Ordines ab eo licitè recipiuntur.

35. Quando est notoria ob percussivum Clerici, recipiuntur illicitè.

36. & seqq. Quando est notoria ex alio capite, sed non denunciata, rursus Ordines licitè accipiuntur.

41. & seqq. Agitur de dispensatione cum illicitè ordinatis.

44. & seqq. Episcopus resignatus vel censuratus Sacramentum Confirmationis illicitè administrat.

48. Alium Consecrationis facit illicitè, non autem invalidè.

#### §. I.

### Qualiter Episcopus sit Minister Ordinarius Potestatis Ordinis?

Minister Ordinarius, per quem Potestas Ordinis in tota sua latitudine exercetur, est Episcopus, ritè electus, confirmatus, & consecratus. Et quidem Potestatem Ordinandi & Confirmandi Episcopus habet ex Jure Divino, juxta doctrinam Orthodoxam, in Concilio Nicæno *can. 4.* Florentino in decreto Eugenii §. *secundum & §. sextum &c.* Tridentino in *sess. 23. can. 4. & 7.* stabilitam. Verùm Potestatem Consecrandi Episcopis ab antiquissimo tempore attribuit Ecclesia per textum in *cap. quamvis 4. Dist. 68. cap. nullus 25. de Consecrat. Dist. 1. cap. interdicimus 10. XVI. q. 1.* Laymann in *Quæst. canon. de Pralat. Eccles. Elect. cap. 17. quæst. 217. resp. 2.* Gonzalez in *cap. quanto de Consecr. n. 9.*

Dixi I. ritè electus. Idem est, si Episcopus aliò modò, v. g. postulatione, nominatione, vel collatione sublimetur ad Episcopatum; ita ut etiam Episcopi Titulares, quos Ordinarii Germaniæ assumunt in Suffraganeos seu Coadjutores spirituales, Potestatem Ordinis rectè conferant.

Dixi II. confirmatus & consecratus. Itaque non sufficit Confirmatio, sed etiam Consecratio requiritur ad exercendam & communicandam Ordinis Potestatem: quia, dum Confirmatio solummodò tribuit Episcopo Potestatem Jurisdictionis, non potest Episcopus Confirmatus Potestatem Ordinis, quam ipsemet non habet, exercere, vel aliis imperiri per *cap. transmissam 15. cap. quod sicut 28. §. super eo de Elect.*

Equidem non prohibetur Episcopus Confirmatus Ordinationem, quæ Potestas Ordinis tribuitur, alteri Episcopo delegare *cap. suffraganeis 11. d. 1.* Sed exinde non licet argumentari, quòd & ipse valeat actum Ordinis exercere. Nam, ut memoratum, actum Ordinis exercere, supponit in exercente Potestatem Ordinis; at actum Ordinis alteri delega-

re, supponit in delegante tantum Potestatem Jurisdictionis, ut dicitur in *trac. præced. de Mod. acquir. Pralat. cap. 1. n. 571.*

Quid autem, si Episcopus esset per saltum 7 ordinatus, ac omisit v. g. Ordines Minoribus, aut etiam Diaconatu vel Subdiaconatu, ad Episcopatum promotus: anne poterit Ordinem, quem nunquam suscepit, aliis validè conferre? Ratio dubitandi sumitur ex *cap. 1. n. 55.* ubi concessum est, Episcopum, omisit Sacerdotio, consecratum, non posse alios in Sacerdotes ordinare: cum, quod ipse non habet, aliis dare nequeat. Ergo etiam, si omisit aliis Ordinibus, consecratur, non poterit Ordines, quos nunquam suscepit, aliis conferre.

Nihilominus communior est opinio, quam præter Salmanticenses de *Sacram. Ord. cap. 1. num. 41.* Laymann. *Theol. Moral. lib. 5. tr. 9. cap. 9. n. 8.* & alios tradit Clericatus de *Sacram. Ord. decis. 12. n. 8.* Ordinem, ita collatum, esse validum. Ratio disparitatis hæc assignatur: quia Potestas Sacerdotalis continet eminenter in se omnes alios Ordines inferiores; cui, si addatur Potestas Episcopalis, ad eosdem Ordines, cæteris conferendis, elevatur.

Quid, si Episcopus decederet ex hac vita, ac rursus à mortuis resurgeret?

Resp. ipsum Ordinis Potestatem quoad exercitium non amplius censei prædicitum: quando quidem Potestas Ordinis quoad actum cum vita deponitur, & solum remanet character in habitu; prout insinuant Salmanticenses de *Sacram. Ord. cap. 5. num. 15.* & docet Eruditissimus Clericatus de *Sacram. Ord. decis. 12. n. 27.* quemadmodum aliquis Commissarius, qui terminum suæ commissionis absolvit, retinet quidem literas patentes, in quibus potestas illius continebatur, nec tamen aliquid operari valet. Narrantur tamen apud *cit. 11*

Clericatum à n. 31. aliquot historie, quòd de

via extraordinaria Beati in Coelis à Supremo Sacerdote fuerint ad exercendam Ordinis Potestatem deputati; quin & ipsemet Christus Dominus Annò 948. Sacellum Beatæ

Virginis in Eremo Helvetica consecrandò, Potestatem Ordinis exercuisse legitur, velut authenticè commonstrat citatus Author. num. 30.

## §. II.

## Qualiter Episcopi Resignati Potestatem Ordinandi exercere valeant?

- 12 **I**n hac quaestione plurimum refert, an loquamur de valore Potestatis exercite, an solum de honestate seu licitate exercitii.
- 13 Si primum; indistinctè tenendum, quòd Episcopus resignatus totam Ordinis Potestatem validè exerceat: tum quia in cap. requisivit 1. de Ordin. ab Episcopo, qui renuntiavit &c. solum dicitur, quòd ordinatus à tali Episcopo non habeat executionem Ordinis & Officii; ex quo consecrati sunt, ipsum Ordinem & Officium quoad valorem jam fuisse receptum.
- 14 tum quia character Ordinis, semel impressus, non deletur per resignationem, sed indelibiliter inhaeret animæ cap. quod quidam 97. l. 1. §. 1.
- 15 Si secundum; distinguitur inter renuntiationem, an facta sit quoad locum tantummodò, seu quoad exercitium & administrationem etiam quoad dignitatem & munus Episcopale. Primò casu licitè potest Episcopus resignatus Majores & Minores Ordines conferre, accedente consensu successoris, vel alterius Episcopi, cui ordinandus substituitur.
- 16 Alterò casu, suppositi tali consensu, Minores Ordines licitè confert, non autem Majores d. cap. quia Majores Ordines desiderant Episcopalem dignitatem, non item Minores.
- 18 Sunt tamen nonnulla, quæ huic resolutioni videntur offensivum parere. Et quidem imprimis de valore talis Ordinationis dubium movetur ex num. 10. ubi negatum est, quòd Episcopus mortuus, & denuò resuscitatus ad vitam, Potestatem Ordinis exercere valeat.
- 19 20 **E**rgo resignatus possit? Deinde in cap. post translationem 11. de Renun. circa fin. supponitur, Episcopum, qui renuntiat dignitati, etiam Ordini renuntiare; quò stante, non apparet, quà ratione, qui per cessionem Ordine se abdicavit, Potestatem Ordinis conferre possit.
- Adhæc in cap. illud quoque 1. cap. si quis 3. Dist. 71. Ordinatio, quæ Episcopo ordinat non subditum, habetur pro nulla. Atqui Episcopus resignatus non potest alium,

quam non subditum, ordinare. Ergo &c. Præterea Chorepiscopi poterant jure propriò Ordines Minores & non sacros conferre, veluti perspicere est in Concilio Ancyrano can. 13. & in Concilio Antiocheno can. 10. apud Gonzalez in cap. Episcopalia 1. de Privileg. n. 7. & segg. & tamen hi Episcopi dignitate Episcopali carebant, utpote qui ob crimen aliquod depositi, actà pœnitentiæ, ex motivo misericordiæ in pagis & villis tolerabantur, ut notat Clericatus de Sacram. Ord. decis. 14. n. 29.

Verùm, quòd inoffensò pede subsistat data resolutio, mox patebit. Ad primam siquidem objectionem disparitas est, quòd Episcopus resignatus nunquam desierit esse viator; siquæ Characterem Ordinis nunquam omiserit quoad actum & usum, pro tempore status viatoris, suppositis supponendis, exercendum: cum e contra Episcopus mortuus cessaverit esse viator, suumque characterem quoad actum & usum ulteriorem amiserit. Ad alteram Resp. cum Glossa, quam citat. 23 Fagnanus ad cit. cap. requisivit n. 5. per renuntiationem Ordinis non intelligi renuntiationem characteris, qui renuntians arbitrio non subjacet, sed animæ manet inscriptus; intelligi verò solum renuntiationem executionis seu exercitii Potestatis Ordinis, cujus illicititas patet ex n. 17.

Ad tertiam Resp. 24 Ordinationem in cit. textibus haberi pro nulla quoad effectum seu executionem Ordinis, quam non subditus, ob prohibitionem Juris, non acquirit.

Ad quartam Resp. Chorepiscopos, quibus in num. 21. Potestas Ordinis adstruitur, fuisse Episcopos Titulares, qui jam prius temporibus consecrabantur ad titulos Ecclesiarum Cathedralium, in partibus infidelium existentium: isti, servatâ dignitate Episcopali, Ordines non sacros quali ex jure proprio conferebant subditis Episcoporum, quorum Suffraganeos in vicis aut pagis agebant. Gonzalez cit. l. n. 9. Clericatus, cit. decis. num. 31.

## §. III.

## Qualiter Episcopi hæretici, schismatici, &amp; censurati Potestatem Ordinis tribuere valeant?

- 26 **O**rdinationem, ab Episcopis hæreticis, schismaticis, & excommunicatis factam, penitus invalidam esse, nonnulla Juris capitula primò intuitu insinuant. I. cap. nos consecrationem cum 2. segg. IX. q. 1. ubi Ordinationes, ab excommunicatis factæ, generatim pronuntiantur irritæ, ac pro nullis habendæ; jubeturque iterari, quòd minimè probatur esse collatum.
- II. cap. ordinationes 5. ead. q. 1. &

cap. quod à predecessore 1. de Schismat. ubi nominatum Ordinationes, quas faciunt hæresiarum, dicuntur irritæ. III. canon. 67. Apo. 28. sol. cap. Daibertum 24. cap. per illicitam 25. l. q. 7. ubi permittitur reordinatio seu iteratio Ordinationis, si quis ab hæreticis fuerit ordinatus.

Verùm si hæretici, schismatici, & ceteri, 29 Ecclesiastica censurâ ligati, in Ordinatione debita

- bitam materiam & formam adhibeant, una cum intentione faciendi, quòd facit veram Ecclesiam, tenendum est absque scrupulo, Collationem Ordinis valere. Covarruv. in cap. alma mater de Sent. excomm. p. 1. §. 6. num. 6. partim quia nec hæresis, nec schisma, nec censura tollit characterem, ex quo valor susceptorum Ordinum dependet: partim quia in cap. ab excommunicatis 4. cap. ordinationes 5. d. IX. q. 1. cap. ult. de Episcopo qui renunt. Episcopatus. cap. quod à predecessore 1. de Schismat. taliter ordinatis conceditur dispensatio; quæ, cum super executionem Ordinum tantummodò cadat, ipsorum valorem antecesser præsumit.
- 32 Ad textus adversos Resp. eos vel desolam Ordinum executione declarandos; vel, si de nullitate formali & substantiali accipiuntur, sic explicandos esse, quòd debita materia, forma, & intentio servata non fuerit. Fagnanus ad cit. cap. quod à predecessore 1. de Schismat. n. 2. & segg. Gonzalez ad cap. fraternitati 2. eod. n. 4. & 8. P. Engel ad cit. de Ordin. ab Episc. n. 6. Clariss. P. Schmalzgrueber ibid. n. 4.
- 33 Quæstio autem exurgit, utrum, si hæresis, schisma, vel censura Episcopi sit occulta, vel saltem judicialiter non denunciata, Potestas Ordinis non tantum sit validè collata quoad substantiam, sed etiam quoad executionem? Varia hic occurrunt DD. placita; & in hoc quidem omnes consentiunt, quòd, si censura sit occulta, Potestas Ordinis quoad substantiam & executionem censetur validè collata. Ita Innocent. in d. cap. quod à predecessore n. 3. Panormitanus in cap. veritatis 8. de Dolo & contum. n. 46. Covarruv. cit. l. in cap. alma mater p. 1. §. 2. n. 7. Barbosa de Off. & pot. Episc. p. 2. alleg. 2. n. 17. P. Engel cit. l. n. 5.
- Hæcque resolutio solidè deducitur ex Extravag. ad evitanda scandala, quæ adscribitur Martino V. in Concilio Constantiensi, & synopticè refertur à Fagnano ad cit. cap. quod à predecessore n. 54 & à Ludovico Bail in Summa Concilior. tom. 1. pag. 587. col. 1. lit. E. Similiter, si censura sit notoria, atque ex percussione Clerici contracta, nemini est dubium, quin Potestas Ordinis executivè non conferatur: utpote cum in cit. Extravag. specificè excipiantur notorii Clericorum percussores, ac communicatio cum illis non permittatur. An autem si quis ex alio capite, v. g. simonia notoria sit excommunicatus, non verò denunciatus, executionem Ordinis tribuere valeat? Covarruv.

viz cit. §. 2. n. 7. prorsus ambiguum est. Fagnanus cit. l. n. 53. & segg. & Clericatus de Sacram. Ord. decis. 12. an. 4. cum aliis citatis contentiosè negativam defendunt; pro quibus faciunt duo Concilia, Constantiensis posteriora, videlicet Basileense in sess. 20. & Lateranense sub Leone X. Sess. 11. §. statim in super &c. ubi censuratis, specificè denunciatis, generatim equiparantur illi, quos ita notorie constat in excommunicationis sententiam incidisse, ut nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo furis suffragio excusari. E contra Barbosa cit. l. P. Engel ad cit. de Sent. excommunicatis. n. 56. P. Wieselner ibid. n. 63. P. Pirhing ad tit. de Ordin. ab Episc. n. 5. tenent affirmativam, & meò iudicio non male: cum enim exceptio ponat regulam in casibus non exceptis; in Concilio autem Constantiensi solum excipiantur notorii Clericorum percussores: consequens est, ceteros excommunicatos, non denunciatos, etiam notorie tales, manere sub regula, & communicationem cum illis non esse vitatam.

Ad Concilium Basileense respondent laudati Engel & Wieselner, id maxima ex parte non haberi pro authenticò, utpote revocatum ab Eugenio IV. & præter articulos paucos, à nullo Pontifice confirmatum. Ad Concilium Lateranense responderi potest, ipsius decretum, si Concilio Constantiensi putetur adversum, non asserere totam Ecclesiam, sed solum Galliam: siquidem in summa Conciliorum, quam exhibet cit. Bail to. 1. pag. 614. col. lit. C. refertur inter Concordata, quæ Leo X. cum Francisco Galliarum Rege pepigit.

Porò cum illicitè ordinatis ab Episcopo cen. 41 furato dispensat Episcopus proprius, si privatorum errore nesciverint, Ordinantem censurâ, ob quam vitandus erat, innodatum esse cap. ult. de Ordin. ab Episcopo &c. Sin autem ordinati leiverint, Episcopum ordinantem propter censuram esse vitandum, non dispensatius, quàm S. Pontifex arg. cit. cap. ult. præterquam si ordinatus ad Religionem se conferat, quò casu Prælato Regulari dispensandi facultatem tribuunt Barbosa ad cit. cap. n. 2. & P. Engel ad eund. tit. n. 5. Necin. 43 tereff in casu ignorantia, num Episcopo ordinans fuerit proprius vel alienus: quippe cum in sententia Panormitan. ad cit. cap. n. 5. post absolutionem censuræ cum ordinato dispensare valeat, non minus, ac Sacerdos delinquentem ex suo mandato absolvere.

## §. IV.

## An &amp; quomodo Episcopi resignati, vel censurati ceteros actus Ordinis exercere valeant?

- 44 **Q**uòd Episcopus resignatus vel censuratus Sacramentum Confirmationis validè conferat, dubitare non sinit ratio, non semel hætenus proposita: quia nimirum characterem Ordinis, à quo valor hujus Sacramenti dependet, neque resignatio neque censura perimit. Quòd etiam licitè conferat idem

Sacramentum, ex eo suadet: quia tali Episcopo nil deest, quàm Jurisdicção: hanc autem Confirmatio, ut licitè fiat, non desiderat, per tradita à Barbosa de Off. & pot. Ep. alleg. 30. num. 14.

Nihilominus verius existimo, quòd nullus ex Episcopis resignatis aut censuratis licitè

Confirmationem impediatur: quia, tametsi non requiratur Jurisdicção ordinaria, requiritur tamen Jurisdicção delegata, non quidem expressè, sed tacite, quatenus prudenter licet presumere, proprium Episcopum non fore invitum. Atqui prudenter non licet presumere, proprium Episcopum non fore invitum, si Episcopum resignatus, & multò magis censuratus, administret Sacramentum Confirmationis: ille siquidem non amplius habet diœcesin propriam, extra quam ne quidem proprium subditum licet confirmare, prout arg. ex Concilio Trident. sess. 6. de ref. cap. 5. desumptò, cum allegatis tradit Barbofa d. l. n. 15. hic autem aliunde prohibetur officium

Episcopale & Potestatem Ordinis, ex vinculo censuræ ligatam, exercere.

Eòdem ferè modò dicendum est de consecratione & benedictione: quamquam enim facultatem consecrandi & benedicendi, quam Episcopi tantum ex Jure Ecclesiastico sunt consecuti, Ecclesia illis in casu resignationis vel censuræ quàm optimò jure possit adimere; non tamen constat, quòd eandem facultatem ipsis de facto quoad valorem ademerit: nisi nec Episcopus censuratus, nec resignatus, licentiâ proprii Episcopi destitutus, cum executione officii Episcopalis careant, licet consecrent aut benedicant. Laymann Theol. Moral. lib. 5. tr. 9. cap. 9. n. 6.

## SECTIO II.

### De Prælati Regularibus.

#### SUMMARIA.

50. Prælati Regulares Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre valent. 51. Si Sacerdotes, & 52. Benedicunt. 53. & seqq. Aut ex privilegio habeant, ut sine Benedictione possint ordinare. 55. Aliis tamen, quàm subditis, nequeunt hos Ordines conferre. 57. Proponitur controversia de Novitiis. 58. Authores pro affirmativa. 59. Authores pro negativa. 60. & seqq. Eligitur, & probatur affirmativa opinio. 66. & seqq. Adducuntur fundamenta sententia, assertentis Ordines Minores, non subdito collatos à Prælati Regularibus, esse invalidos. 71. & seqq. Sententia contraria motiva expenduntur. 80. & seqq. Tenetur hæc posterior, & respondetur ad fundamenta prioris. 91.

Alia questio ponitur, an Prælati Regulares Ordines Minores non subdito conferant licite, quando literas dimissorias habet ab Episcopo? 93. & seqq. Negantes, & ipsorum rationes allegantur. 101. & seqq. Affirmantes, & eorum rationes proferantur. 103. & seqq. Fit accessus ad istos, cum additione rationum morientium. 106. & seqq. Negantium rationes confutantur. 112. & seqq. Concluditur, quòd unus Abbas non possit alteri, sine licentiâ Episcopi, delegare Potestatem ordinandi. 117. De Majoribus Ordinibus, & Sacramento Confirmationis remissivè. 118. & seqq. Explanatur, qualiter Prælati Regulares possint actum consecratorum exercere cum vel sine unctione.

#### §. I.

#### An & quales Prælati Regulares possint Ordines conferre?

Præter Episcopos, seu ordinarios Ordinum Ministros, extraordinariè quidam sunt Ministri; in specie Prælati Regulares, qui ex universalis privilegio, in corpore juris contento, suis subditis Regularibus Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre valent. Textus in cap. quoniam 1. Dist. 69. cap. cum contingat 11. de Etate & qual. & Ordin. ubi Gonzalez num. 5. cap. Abbatis 2. de Privileg. in 6. Ut autem Prælati Regulares hæc facultate polleant, necessum est I. ut caractere Sacerdotali præcellant juxta cit. cap. quoniam 1. Gonzalez ubi supra n. 7. Rationem dat Clericatus de Sacram. Ord. decis. 15. n. 7. quia ordinare Clericos est eos disponente, ac præparare ad conficiendum Corpus Christi: igitur hanc dispositionem & præparationem provenire oportet ab eo, qui habet Potestatem consecrandi corpus Christi. Necessum est II. ut iidem Prælati sint benedicti per cap. statim 1. de Supplenda neglig. Prælat. Gonzalez cit. l. Rationem dat rursus allegatus Clericatus: quia Benedicção, quæ solemniter dat Prælati Regularibus, largò modò in Jure vocatur consecratio & ordinatio

56. Necessum est III. ut personæ, quibus Abbates Regulares conferunt Ordines, sint subditi, non qualescunque: prout in cap. Abbatis 3. de Privileg. in 6. permixtum erat; sed Regulares, ut statuit Concilium Trident. sess. 23. de Reformat. cap. 10. Unde

57. Controversia non vulgaris movetur: utrum Prælati Regulares suis Novitiis Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre valeant? Gonzalez ad cap. cum contingat 11. de Etate & qual. n. 6. refert Authores in utramque partem; non expressè, quam ipse sequatur, opinione. Apertius animum suum explicat, & in affirmativam transeunt Suarez 10. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. cap. 29. num. 12. Passerinus ad cit. cap. Abbatis n. ult. Laymann Theol. Mor. lib. 5. tr. 9. cap. 9. n. 2. Salmanticensis de Sacram. Ord. cap. 4. n. 39. Gobat Theol. experiment. n. 324. Pirhing ad tit. de Temporib. Ordin. n. 55. Engel de Privileg. Monasterior. privileg. 49. num. 3. König ad cit. tit. n. 26. hancque sententiam P. Krimer in questio. Canonice ad cit. tit. 217. probabiliorè; & Clariss. P. Guetrather Inst. Jur. Can. lib. 1. tit. 24. n. 7. communis Doctorum sensu firmatam

58. At in negativam eòdem candore desceunt quàmplurimi, in specie Barbofa de Offic. & pot. Episc. p. 2. alleg. 3. n. 8. Pax Jordan lib. 5. tit. 4. n. 60. Tamburinus de Jure Abbas. d. 10. 2. disp. 2. quest. 10. per tot. Pasqualigo in Addit. ad lauret. de Franchis de Controvers. inter Episcop. & Regular. p. 1. n. 10. P. Wiestner ad cit. de Ordin. ab Episcopo qui renunt. n. 12. quam opinionem in praxi tenendam suadet Clerica-

tus de Sacram. Ord. cit. decis. 15. n. 18. Cardos autem difficultatis in eo præcipue versatur, utrum Novitii censentur esse subditi Regulares ad mentem Concilii Tridenti, prohibentis, ne Abbates cuicumque, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferant? Sane qui legit Authores, de Regularibus scribentes, frequentissimò calamò consentiunt I. quòd Novitii in materia favorabili nomine Religiosorum comprehendantur per cap. Religioso 21. §. quomodo de Sens. excommunicat. in 6. II. quòd fortiantur forum contentiosum & Jurisdictionem in Monasterio. Sperell. Fori Eccles. decis. 16. n. 14. & seq. III. quòd forum Sacramentale ibidem ob-

59. tineant Pasquilig. in addit. ad Lauret. de Franch. p. 2. §. 57. n. 2. Quibus suppositis, sequela legitimè deducitur, Novitios censeri subditos Regulares ad mentem Concilii Tridentini; eaque propter non prohiberi, quò minus à Prælati Regularibus ad primam Tonsuram & Ordines Minores promoveantur. Con-60. firmatur hæc sequela ex natura Juris correctioris, quòd, cum strictam ubi interpretationem exposita, non admittit, ut Jus antiquum in cap. Abbatis 2. de Privileg. in 6. v. cuius licebat tam Novitiis quàm subditis secularibus primam Tonsuram & Ordines Minores conferre, per Jus posterius Concilii Tridentini dicatur etiam quoad Novitios abrogatum: quandoquidem in eodem Concilio nihil de Novitiis dicitur, sed de solis non subditis Regularibus disponitur; consequenter quoad illos Jus antiquum manet immutatum.

#### §. II.

#### Possintne Prælati Regulares alienis subditis validè saltem Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre?

Hæc questio acriter inter Canonistas discutitur. Refertur utriusque sententia, negantis, & affirmantis, fundamenta cum Authoribus, & meam deinde mentem exponam. Itaque sententia negans pro fundamento allegat I. verba Concilii Trident. sess. 23. de Ref. cap. 10. ibi: Abbatis ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non licet imperpetuum, intra fines alicujus diœcesis consistitibus, etiam si nullius diœcesis vel exempti esse dicantur, onquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre. In hoc itaque decreto, quantumvis explicitè dicatur, talem collationem non esse licitam, vi ipsa tamen & implicitè dicitur, collationem non esse validã, utpote cum Lex prohibens sit regulariter etiam irritans. II. si Prælati Regulares nunquam habuissent privilegiũ, Ordines Minores conferendi, nunquam validè potuissent ordinare. Ergo etiam non possunt ordinare, quando privilegiũ, quod olim acceperunt, ipsis adeptum est. Atqui privilegiũ, ordinandi subditos non regulares ipsis in Trid. Conc. 61. cit. l. est adeptum. Ergo &c. III. Prælati resignatus, aut ob lapsum statuti temporis officio exutus, validè non potest amplius or-

62. dinare, prout innuit Declaratio Sacre Congregationis die 5. Aprilis 1636. apud Pignatellum ro. 1. consulti. 366. n. 6. in qua resolutum erat, quòd Abbas finitò officio non possit conferre Ordines Minores, licet sit procurator generalis in Curia. Ergo nec Prælati alius potest non subditum validè ordinare: tum quia non minus quàm Prælati resignatus privilegiũ destituitur: tum quia respectu non subditi non Prælati, sed privatus est. IV. tametsi Sacerdotes in Ordinatione acquirant Potestatem, à peccatis absolvendi, nullus tamen confessio-63. nes cum valore Sacramenti potest excipere, nisi per approbationem Episcopi Jurisdictionem in actu receperit. Pariter ergo Prælati Regulares, quamquam per benedictionem acquirant Potestatem ordinandi, eandem tamen cum valore Sacramenti non possunt exercere, nisi Jurisdictionem habeant in ordinandum. Et ita post alios, quos allegat P. Wex in Epitom. de Prælat. reg. p. 2. contr. 1. n. 3. & 11. sentiunt Layman Theol. Mor. lib. 5. tr. 9. cap. 9. n. 7. Pirhing ad tit. de Temp. Ord. n. 49. P. Schmalzgrueber ibid. n. 34.

Sententia affirmans argumentum principale sic efformat. Quando Episcopus alieno subdito

subdito confert Ordines tam Majores quam Minores, confert validè, prout omnes fatentur. Ergo etiam Prælati Regularis, qui Minores Ordines alii, quàm subdito Regulari, 72 confert, confert validè. Conseq. prob. I. quia Potestas Ordinis, postquam generale privilegium emanavit, eò modò reperitur in Prælati Regularibus, quò modò reperitur in Episcopis; veluti patet ex cap. ult. de Tempor. Ordin. in 6. ubi quoad exercitium Potestatis Ordinis in ordine ad Primam Tonfuram parificatur Episcopus & quivis alius, qui nempe ex alio titulo facultatem Ordines Minores conferendi accepit. Cùm igitur in Episcopis Potestas Ordinis quoad valorem sit absoluta & illimitata, non minus Potestas Ordinis in Prælati Regularibus quoad valorem 73 erit absoluta & illimitata. Prob. II. defectus Jurisdictionis non reddit Potestatem Ordinis invalidam, sed tantum illicitam per cit. cap. ult. & Trid. Concil. cit. sess. 23. cap. 8. Atqui, quò Prælati Regularis personam non subditam ordinare non possit, provenit solum ex defectu Jurisdictionis, sicuti planum & perspicuum videtur. Ergo &c.

74 Nec obest, quòd Potestas Ordinis, quàm prælati Regularis Prælati, non fundetur in radice characteris Sacramentalis, adinstar Potestatis Episcopalis, sed tantum in principio extrinseco, seu gratia, & voluntate S. Pontificis: nihilominus enim quoad effectum imitatur Potestatem Episcopalem, ut quoad valorem censetur universalis, & quoad licitum usum ad Jurisdictionem restricta: nam, servatâ proportione, benedictio præstat idem Abbatibus, quod consecratio præstat Episcopis arg. cap. alienationes 37. XII. q. 2. Fagnanus in cap. statimimus 1. de Supplenda negligent. Prælat. num. 20.

75 Confirmatur argumentum propositum I. ex eodem Fagnan. num. 47. & seqq. quia Potestas Ordinis non minus est individua, atque adeò per partes aut subditos non distincta: quàm Spiritus S. qui principaliter operatur in Sacramentis. Unde si quis possit unam personam validè ordinare, potest etiam aliam ordinare. Et quamvis Potestas Ordinis de facto reperitur distincta, dum Episcopi v. g. habent majorem Potestatem quàm Sacerdotes, & sic deinceps: id tamen solummodò procedit in Ordine diverso, non item in uno & eodem: quia qui Sacerdotium v. g. recipit, potest omnes actus Ordinis, Sacerdotio connexus, cum valore exercere, licet ab extrinseco 76 prohibeatur. Confirmatur II. ex eodem Auth. sub num. 50. sequenti exemplò. Si ego tradidero alicui sigillum, ut imprimat in aliqua materia centum duntaxat imagines, & ille, excedendò mandatum, faciat centum & quinquaginta vel plures, omnes erunt veræ imagines, & validè impressæ, licet illicitè, quia mandatum obstabat. Ita in Ordinatione Prælatorum Regularium Ecclesia dedit ipsis sigillum, id est, Potestatem imprimendi Characterem spiritualem in anima per collatio-

nem Minorum Ordinum, sed eam restrinxit ad solos subditos Regulares. Is ergo, si excedat ordinandò etiam non-sibi subditos, vel sibi subditos seculares, validè omnes ordinat; sed illicitè, propter expressam Ecclesiæ prohibitionem. Confirmatur III. ex variis Declarationibus Cardinalium, quas alegant cit. Fagnanus num. 13. 14. & 39. Gobat Theol. Experiment. tract. 8. n. 333. & 336. Pignatelli tom. 3. consulti. 8. n. 9. in quibus S. Congregatio decidit, ordinatos non-subditos à Prælati Regularibus non esse reordinandos. Sub 77 scribunt Tamburinus de Jure Abb. tom. 2. disp. 2. quest. 8. n. 1. Fagnan. cit. l. à num. 11. Gobat ubi supra. Clericatus de Sacram. Ord. decis. 15. num. 32. P. Engel de Privileg. Monast. priv. 49. n. 4. P. König ad tit. de Tempor. Ordin. num. 7. P. W. ex cit. p. 2. contr. 1. eamque utilissimam in praxi & certam appellat P. Guetrather Inst. Jur. Can. lib. 1. tit. 24. n. 9.

Subscribo & ego, atque ad I. fundamentum negantis sententiæ resp. ex eo, quòd Concil. Trid. suam dispositionem per verba: non liceat, nobis intimaverit, bene concludi, Ordinationem, quàm Minores Ordines alii quàm subditis Regularibus conferuntur, tantum illicitam esse; non obstantè regulâ, quæ Legem prohibentem simul irritantem vocat: hanc enim, 81 tamen & nos recipiamus, limitare solum tum in casu, in quo versamur in materia Juris correctorii; tum maxime, quando versamur in materia Sacramentorum, ubi quàm plurima sunt præcepta vel prohibita, nec tamen, si contra præceptum vel prohibitionem agatur, actus pro nullo & infecto habetur.

Ad II. Resp. conseq. distinguendò: ergo 82 non possunt ordinare, quando privilegium, quod olim acceperrunt, ipsis ademptum est, totaliter, conseq. quando ademptum est tantum partialiter, neg. conseq. eademque distinctio applicatur ad propositionem subsumptam. Privilegium ergo, quò Prælati 83 Regulares olim potuerunt Ordines conferre, non fuit illis hodie ademptum totaliter, sed tantum partialiter, quatenus respectu subditorum Regularium mansit intactum tam quoad valorem quàm honestatam; & respectu non-subditorum Regularium, salvò manente valore, quoad honestatem tantum est sublatum.

Neque dicas: si Concilium Tridentinum ita statueret: liceat Prælati Regularibus etiam non-subditis Regularibus Minores Ordines conferre, facile concederemus, quòd Ordines alienis subditis validè conferantur & licitè. Ergo etiam, si Concilium statuat: non liceat non-subditis Ordines Minores conferre, concedere debemus, quòd Ordines alienis subditis nec validè nec licitè conferantur.

Resp. negandò consequentiam & paritatem. Præterquam enim, quòd concessio privilegii sit favorabilior & largior quoad interpretationem, quàm illius revocatio: magna insuper occurrit disparitas in eo, quòd Ordinum Collatio

latio nequeat esse licita, quin simul valida sit; & tamen (ut nemo non intelligit) Ordines per sepe conferuntur validè, quin licitè conferantur: quia videlicet bonum ex integro; malum ex quolibet defectu resultat.

86 Ad III. Resp. negandò conseq. & paritatem. Disparitas est: quia Prælati resignant, aut alia Prælati exutus, amittit Potestatem Ordinandi non tantum partialiter, sed etiam totaliter: nec solum quoad non-subditos, sed etiam quoad subditos Regulares; spectatò valore simul & honestate. Ratio autem ulterior est: quia Potestas Ordinandi, quam habet Abbas Regularis Benedictus, videtur annexa officio & dignitati: ideòque, officio & dignitate seposita, Potestas Ordinandi expirat; ac eodem officio & dignitate retentâ, retinetur.

88 Quòd verò Prælati respectu non-subditi privatus sit, æquè parum in-

firmat Ordinationem Abbatialem, quàm Episcopalem infirmat defectus Jurisdictionis respectu subditorum alicujus, etiam respectu horum non Prælati sed privatus agnoscat.

Ad IV. Resp. ex eo fundamento probari, quòd etiam Ordinatio, quàm Episcopus alieno subdito Diaconatum vel Presbyteratum administrat, invalida sit. Quæ tamen illatio, cùm falsa sit, non tolerari, sed negari debet; adjungendò solidam rationem diversitatis: quia absolutio Sacramentalis est actus judicialis & jurisdictionalis. uti declaratur in Trid. Concil. sess. 14. de ref. cap. 5. & 6. & de Sacram. Pan. ibid. can. 9. adeòque supponit pro suo valore jurisdictionem, antecedenter in subditos habitam: at Ordinatio non est actus judicialis vel jurisdictionalis, sed actus Ordinis: unde jurisdictionem, antecedenter in subditos habitam, per se loquendò non desiderat.

## §. III.

Posintne Prælati Regulares alii, quàm subditis Regularibus, aliquando licitè Minores Ordines conferre?

89 Hæc quaestio, longè magis controversa, quàm prior, duplicem aliam involvit. I. utrum Ordines Minores licitè possint conferri personis secularibus, si proprii Diocesani licentia accedat? II. utrum licitè possint conferri personis Regularibus alterius Ordinis aut Monasterii, si proprii Abbatis licentia prærequiratur?

92 In I. Controversa cum negantibus sentiunt Miranda, Rodriguez, Navarrus & alii, quos citat & sequitur Clericatus cit. l. decis. 15. num. 30. Barbosa de Off. & pot. Ep. p. 2. alleg. 3. num. 11. Pignatellus tom. 1. consulti. 366. n. 7. Allegant I. Trid. Concil. cit. l. ubi perspicue Abbatibus Ordinationem aliorum, quàm subditorum Regularium, reddit illicitam.

93 II. arguunt ex absurdo, quòd nempe Trid. constitutio vacua foret & vana, si Prælati Regularibus id modò liceret, quòd licuit ante illam constitutionem, ordinare scilicet alienos subditos cum licentia suorum Ordinariorum.

94 III. urgent ex eod. Concil. quòd Prælati non tantum prohiberent, alienos subditos ordinare, sed etiam literas dimissorias, ut ab aliis ordinarent, concedere; unaque reservaverint Ordinationem Episcopo, intra cujus diocesin existunt. IV. adducunt decisionem Rotæ coram Seraph. de Die 27. Aprilis 1592. & huic conformem Declarationem Cardinalium de die 23. Nov. 1641. confirmatam ab Urbano VIII. cujus etiam meminuit Fagnanus ad cap. aqua 9. de Consecrat. n. 19.

96 Affirmantibus consentiunt Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 49. num. 20. Tamburinus de Jure Abb. tom. 2. disp. 2. quest. 7. n. 1. & seqq. Engel de Priv. Monast. priv. 49. n. 4. W. ex cit. Epitom. p. 2. contr. 1. à n. 28. König ad tit. de Tempor. Ord. n. 7. Joan. Maria Shogar Theol. radic. tract. 27. cap. 3. n. 41. P. Guetrather Inst. Jur. Can. d. lib. 1. tit. 14. n. 9. ac novissimè Cla-

riff. P. Schmalzgrueber ad cit. rit. n. 32. Consentunt etiam 30. Doctores, partim Theologi, partim Canonistæ, ut fatetur Clericatus. cit. loc. n. 24. inter quos ille notari dignos censet & recenset 4. Episcopos, Carlinum, Zarolam, Rodericum Acunam, & Hieronymum Venero. Ratio autem est I. quia ex dis-

98 sputatis à num. 70. Abbates alienis subditis validè conferunt Ordines Minores; nec ad licitam Ordinationem aliquid deest, quàm jurisdictionem. At quando intervenit licentia, proprii Ordinarii, non deest Abbatibus ordinantibus jurisdictionem. Ergo &c. Hinc dicere solemus: actum, quem jure proprio quis exercere potest in suis, accedente delegatione vel commissione posse exerceri in alium. II. tamen non liceat Episcopis alienos diocesanos ordinare, nihilominus si literas dimissorias à suis Diocesanis exhibeant, ordinant licitè. Idque etiam circa Episcopos Titulares obtinet vi Trid. sess. 14. de ref. cap. 2. Ergo, tamen non liceat Abbatibus, non-subditos Regulares ordinare, si tamen ab Episcopo, à quo cæterequin Ordines recipere deberent, literas dimissorias ostenderint, ordinant licitè per cap. ult. de Temporibus Ordin. in 6. ubi non obscure indicatur, quoad collationem Primæ Tonfuræ respectu non-subditorum eandem esse conditionem Episcoporum & aliorum Collatorum. III. prohibitio Ordinationis, 100 quæ facta est Abbatibus in Trid. principaliter emanavit in favorem & honorem Episcoporum, velut indicant verba: sed bonum omnium Ordinationis ad Episcopos pertinet &c. Possunt igitur Episcopi suo favori renuntiare, & Abbatibus per literas dimissorias licentiam ordinandi concedere. IV. Jus antiquum cum

101 novo, quantum est possibile, concordari debet: est autem possibile, ut Trid. Concil. seu Jus novius, cum antiquo concordetur, si cum G g g qua-

quadam limitatione, statim referenda, dicatur, Abbatibus esse licitum, cum assensu proprii Episcopi alium, quam subditum Regularem, ordinare. Ergo &c.

102 In presenti difficultate cum Fagnano in *cit. cap. aqua num. 8. & seq.* censio, posteriore hanc opinionem in praxin securè deduci posse, si subditus non-Regularis, ordinandus a Prælati Regulari, non tantum habeat licentiam generalem, sed etiam specialem ab Episcopo.

103 Episcopo. Movet me partim gemina declaratio Cardinalium, quam authenticè refert *cit. Fagnanus num. 8. 10. & 18. & Clericatus*

104 *cit. l. n. 22.* partim constitutio S. Caroli Borromæi, qui, cum Tridentinæ synodi zelosissimus propagator & observator fuerit, sine dubio nihil contra Trid. statuit, dum in Concil. Mediol. p. 3. de *Sacram. Ord.* Tonfuræ & Ordinum Minorum collationem prohibuit, nisi & ipsius Episcopi consensus antecedar, & illi iniuncti à suo Episcopo vel Regulari Superiore attulerint literas dimissorias, non generatis, sed specialiter concessas:

105 partim quia de praxi hujus sententiæ in variis diœcesibus attestantur Engel in *annot. ad cit. priv. 49. num. 3.* Gobat *Theol. experim. tract. 8. num. 328.* Strein. p. 1. tit. 16. §. 3. n. 3. Sporer de *Sacram. p. 1. cap. 5. sect. 3. n. 43.* König *cit. loc. Wex cit. controv. 1. n. 33.*

106 Responsiones ad opposita mox dabo. Ad I. patet intentio Trid. ex dictis, quod illicitam reddiderit Ordinationem, quam Prælati Regulares faciunt autoritate propria; non illam, quam faciunt autoritate delegatâ. Ad

107 II. rursus expedita est responsio, dispositionem Conciliarium non esse vacuum & vanam: quandoquidem ante Concilium licuit Abbatibus subditos seculares ex jure proprio ordinare, juxta *cap. Abbates 3. de Privileg. in 6.* alios autem non subditos licuit ordinare cum licentia proprii Episcopi juxta *cap. ult. de Temporib. Ordinar. eod. in 6.* post Concil. verò non amplius licet, vel subditos seculares jure proprio ordinare, vel etiam alios ex jure delegato, nisi illa delegatio & commissio sit specialis &

108 expressa. Ad III. Resp. aliud esse, quod Prælati Regularibus prohibita sit concessio literarum dimissorialium; aliud, quod ipsi prohibita sit Ordinatio, quando ordinandus affert literas dimissorias speciales ab Episcopo proprio. Prior prohibitio continetur in

109 Trid. Concil. non item posterior. Ad IV. variè respondent Aa. opinionis affirmantis, vel quod allegata Rotæ & Congregationis decisio non emanaverit pro tota Ecclesia; vel quod usu & consuetudine contrariâ rursus fuerit abrogata; vel quod intelligenda sit in illa hypothet. quâ literæ dimissoriæ Episcoporum tantummodo generales sunt, nec specificam licentiam Prælati Regularibus indulgent.

110 Et hanc ultimam responsionem ad decisionem Rotæ suggerit etiam Fagnanus *cit. loc. num. 10. & seq.* Verum ad objectam Declarationem Cardinalium non respondet, sed eam in n. 19. solummodo refert his verbis: *post hæc scripta*

*emanavit à S. Congregatione Concilii infra scripta declaratio, quæ est originaliter in libro memorialium &c. nec tamen responsionem aut judicium suum desuper manifestat.* Salvò

111 tamen meliori crediderim, hanc ipsam Declarationem eâ responsione, quæ data fuit ad decisionem Rotæ, in favorem nostræ sententiæ explicari posse; addendò, non fuisse generalem Episcopi commissionem, sed pro singulis casibus singularem requiri. Wex *ubi supra n. 24.*

In altera controversia existimat Pasqualig. 112 in *addit. ad Laurent. de Franch. de Controvers. inter Episcop. & Regular. p. 1. n. 10.* utriq. non licere, ut Abbas ordinet Religiosum alterius Religionis aut Monasterii, quamvis alterius Abbatibus habeatur licentia; concedit tamen hic Author, quod Abbas vices filii alteri, facultatem conferendi Ordines habenti, delegare possit: quia Concilium solum restringit facultatem ordinandi, non autem totam facultatem delegandi. Verum non satis assequor

113 intentionem Pasqualig. Quamquam enim non inverim inficias, ad Ordinationem alieni subditi Regularis non sufficere licentiam alterius Abbatis, sed insuper necessariam esse specialem Episcopi concessionem: tum quia Tridentinum admodum clarè hoc innuit: tum quia in sua prohibitione respexit favorem & honorem Episcoporum; quorum proinde licentia nequit omitti: tum quia declaratio Cardinalium in *num. 103.* nimium dilucide sic ordinat. Nihilò tamen minus etiam de

114 legationem, nisi specialibus dimissoriis ab Episcopo roboretur, non sufficere, contendo. Ratio mea est: quia delegare vices Abbati alteri, est idem, ac literas dimissorias ad eundem expedire, etque facultatem ordinandi concedere. Sicut itaque non valet unus Abbas alterius subditum Regularem ordinare, quantumvis Abbas illius subditi per dimissorias det specialem licentiam: ita neque tunc ordinare potest, quando Abbas illius subditi Ordinationem delegat. Confirmatur. Nullus

115 Episcopus vel Prælati licetè ordinar, nisi ordinandus sit ipi subditus vel jure proprio, vel jure delegatò. Atqui Prælati Regularis Religiosum alterius Ordinis aut Monasterii sibi subditum non habet jure proprio. Ergo, ut licetè ordinet, debet illum habere subiectum ex jure delegato. Ergo literis dimissoriis instructus esse debet, non tantum à Prælati Regulari proprio, sed etiam ab Episcopo, cujus favorem intendit Concil. Trid.

116 Quod Concilium non restringit facultatem delegandi, sed ordinandi, verissimum est. At hoc ipsò, quod Concilium restringat facultatem ordinandi, vetat, ne alienus subditus ordinetur sine licentia tum Prælati Regularis, si ordinandus sit Regularis, tum Episcopi. Ergo, licet facultas delegandi non sit restricta, non potest tamen aliter ab Abbate delegato in Regularem non-subditum exerceri, præterquam si literas dimissorias & Prælati Regularis, & Episcopi exhibuerit.

## §. IV.

## §. IV.

Quos alios actus Ordinis Prælati Regulares exercere valeant?

117 Circa collationem Majorum Ordinum, vel administrationem Sacramenti Confirmationis, eadem est facultas Prælati Regularibus, quæ Sacerdotibus simplicibus, de quibus

118 in *sect. 3.* Verum circa Consecrationes & Benedictiones rerum sacrarum Prælati Regularibus, qui gaudent usu Pontificalium, & propriis accedunt ad Episcopos, longè major competit Potestas, quam cæteris Prælati aut Sacerdotibus: nam juxta declarationem S. Congregationis Abbas, qui est benedictus, vel ex privilegio Sedis Apostolicæ habet, ut Pontificalia exercere possit, ac si esset benedictus, potest omnia sacra benedicere, illis exceptis, in quibus univè requiritur.

119 Sylvester *V. Benedictio num. 5.* Barbosa *J. E. U. lib. 1. cap. 17. n. 62.* Pax Jordan *lib. 5. tit. 3. n. 54.* Tamburin. *tom. 1. disp. 22. q. 1. & seq.* Pasqual. in *addit. ad Laurent. de Franch. p. 2. q. 28. num. 2.* Cleric. de *Sacris. Missæ decif. 47. n. 78.* Antonell. in *tract. de Regim. Eccles. lib. 1. cap. 17. num. 15.* Engel de *Privileg. Monast. privil. 49. num. 5.* Wex in *Episcop. de Prælat. Reg. p. 1. §. 20. cap. 6. n. 16.* Præterea jus consecrandi vel benedicendi cum unctione datum est ab

Innocentio VIII. 1489. Abbati Cisterciensî & quatuor primis Co-Abbatibus, ut testatur Barbosa de *Off. & poi. Ep. alleg. 27. num. 36.* Tamburin. *d. l. disp. 23. q. 2. num. 2.* Antonell. *cit. n. 15.* Wex *cit. l. n. 27.* Idem jus à Pio IV. 1565. indultum est Abbatibus Congregationis Cassinensis, sicuti testatur sciunt Pax Jordan *cit. l. n. 55.* Tamburin. *d. l. q. 4.* Cleric. de *Sacris. Missæ decif. 13. n. 19. & seq.* Nicol. & Garuff. in *Notabil. præst. Verb. Abbatis n. 20.* Pignatell. *tom. 1. consult. 68. n. 5.* Ad alios 122 quoque Prælatos similis facultas devolvitur, vel speciali Summi Pontificis privilegio, vel communicatione privilegiorum; de qua tamen, cum multifaria sit, multasque pariat controversias, nihil ulterius addo, sed, si placeat, conferri possunt Clericis *cit. decif. 42. num. 78.* Pignatell. *cit. tom. 3. consult. 68. n. 6.* Caramuel *Theol. reg. disp. 124. num. 1567.* Murga *Oper. Moral. tom. 2. tit. 6. à n. 244.* Tamburin. *tom. 1. disp. 23. quest. 12. & 13.* Barbosa *cit. l. Pax Jordan d. lib. 5. tit. 3. num. 53. & seq.* Mathæucci in *Offic. Cæ. Regul. cap. 4. & plures, ab his allegati.*

## SECTIO III.

De aliis Ministris extraordinariis, per quos Potestas Ordinis exercetur.

## SUMMARI A.

123. & seq. Quilibet Sacerdos ad Ordines Minores conferendos autoritate Pontificiâ deputari potest. 125. & seq. Alius autem Clericus deputari non potest. 128. & seq. Nonnulli obices removeantur. 136. & seq. Referuntur varia placita de Ordinibus Majoribus, utrum à simplicibus Sacerdotibus, ex commissione Apostolicâ, conferri valeant? 139. & seq. Defenditur hujusmodi collatio quoad Sub- & Diaconatus. 143. & seq. Principalis objectio tangitur & remun-

ditur. 148. & seq. Argumenta, quæ collationem Sacerdotii probare videntur. 151. & seq. Argumenta contraria. 159. & seq. Prior d. resolluntur. 163. Simplex Sacerdos omnes actus Ordinum inferiorum exercere potest. 169. Consecrationes Episcopales facere potest ex delegatione Papa. 165. & seq. Potest etiam ex tali licentia administrare Sacramentum Confirmationis. 169. & seq. Potest insuper consecrare gloriosâ, quò confirmandus inungitur.

## §. I.

Possitne alius, quam Sacerdos, ex speciali commissione S. Pontificis Primam Tonfuram & Ordines Minores conferre?

124. Præter Abbates Regulares possunt etiam alii Sacerdotes non-Episcopi, tanquam extraordinarii Ministri, Primam Tonfuram & Ordines Minores conferre: id, quod constat ex antiquissimo usu Ecclesiæ, cujus non obscure meminerunt *cap. quonia 1. Dist. 69. cap. requiritur 1. de Ordin. ab Episcopo &c. cap. cum 124. noning 11. de Et. & qual. & Ord. presic.* Constat insuper ex privilegio, quò tum Abbates Regulares, tum Cardinales non-Episcopi, tum novissimè Primicerius Ecclesiæ S. Marci Venetiis potestatem acceperunt, Primam Tonfuram & Ordines Minores conferendi. Clericatus de *Sacram. Ord. d. decif. 14. à n. 1.*

125. An autem alius, quam Sacerdos, ex speciali commissione S. Pontificis, Primam Tonfuram & Ordines Minores conferre possit? Queritur; sed cum S. Thoma, Dicastillo, Paludano, Sylvestro in *V. Ordo 3. q. 7.* Salmanticensi. *cit. 17. 8. de Sacram. Ord. cap. 4. num. 20.* Clericatus de *Sacram. Ord. d. decif. 16. à num. 1.* communissimè negatur. Ratio est I. quia 126 videtur inconveniens & indecorum, ut quis Potestatem exerceret in Corpus Christi mysticum, Ordines conferendò, qui necdum Potestatem obtinuit in Corpus Christi verum per Sacerdotium. II. quia non minus in 127 concinnum est, ut assumatur in consortium